



eros lucos humi repentis contulisse, Tacitus de mor. Germ. auctor est. Veteres Christiani etiam variis documentis animum devotum in templis ostendebant. Templis ingressuri manus lavabant; alicubi etiam calceos exuebant, atque portas columnasque amplexi exosculabantur; imperatores diadema deponebant, et Satellitium dimittebant. vid. b. Baumgarte-
nii antiqu. Sacr. p. 62. Mox vero, cum mores Christianorum in pejus ire coeperunt, etiam de hac externa veneratione in templis exhibita non nulli multum remiserunt. Chryostomus igitur hanc in templo deuotionem homil. 36. in 1. Cor. XIV. tom. IV. opp. f. 567. graviter inculcat: non enim tonstrina, inquit, neque unguentaria officina, neque una alia opificum, qui sunt in foro, taberna est ecclesia, sed locus angelorum, locus archangelorum, regnum Dei, ipsum coelum. Quemadmodum ergo si quis te coelum introduxisset, etiam si patrem videres, etiam si fratrem, ne auderes quidem alloqui: ita hic ne aliud quidem loqui oporteret, praer spiritualia. Quid quaeso ille grauis et pius orator diceret! in quam admirationem raperetur? si multos gregarios Christianos, prouti iam Saeculi genius fert, in sanctis nostris templis blaterare, ridere, fannis et dieteriis alios excipere, habitu et gestu lasciuo incedere, oculis aliorum amorem venari conspiceret. O tempora, o mores!

Profanatio templorum fit deinceps per delicta in loco sacro commissa; per rixas, altercationes, caedes, fornicationes ad templi fornices peractas et exinde nomen sortitas, per furta, sacrilegia et sic porro, quae eo maius momentum trahunt, et eo grauiorem poenam promerentur, quo sanctior ille locus est, qui eiusmodi flagitiis quasi inquinatur.

Profanatio templorum quoque ita peragitur, si vel templum ipsum vel vasa sacra ad alios et profanos usus transferuntur, quam, quibus destinata sunt. Sic belli illius funesti tempore, quod iam Dei gratia superavimus, multa sacraria stabula equorum vel frumentorum receptacula facta sunt.

Maxima demum templis illata iniuria est illorum praeter omnem necessitatem et ex quodam religionis odio male fano facta incensio atque desolatio. Apud gentiles omnia templa erant loca inviolabilia, et si victores etiam urbes expugnauerant, templis tamen atque Diis pepercerunt, ne cum diis pugnare, iisdemque iniurias inferre viderentur.

Amor